

tute commutari, etiam in casu necessitatis; nec similiter vota emissa in favorem tertii, & ab isto acceptata, quia supra talia vota nullam concedunt facultatem, nec aliquis illam habet præter summum Pontificem ex gravissima causa.

160. R. Secundo: in commutatione voti peregrinationis perpendi debent tum labores itineris, tum expensæ accessus, & redditus, tum pericula, incommoda, detentio, & damna rei familiaris, si forte sequantur, tum etiam expensæ, quas domi facturus erat, & iis deductis, si per Bullam fiat commutatio, debet reliquum, quod in itinere expensurus esset, in subsidium Cruciatæ tribuere, insuper aliquid amplius pro periculis, mora, & labore itineris, Missas autem, si quas promissit, valet aut illuc, si commode potest, vel hic curare, ut celebrentur. Si commutatio fiat virtute jubilæi, aut alterius legitimæ facultatis, omnia possunt commutari in pia opera spiritualia, vel corporalia secundum prudentiæ iudicium commutantis, servata æqualitate morali, ut dictum est.

161. Inq. 5. An commutatio voti debeat fieri intra confessionem? R. sub distinctione: nam Episcopi, & qui gaudent jurisdictione ordinaria, valent eam facere intra, vel extra confessionem: delegati autem juxta præscriptum in delegatione. Cum igitur in hac semper, vel fere semper exigatur confessio, ut patet in privilegiis regularium, in Bulla cruciatæ, & in jubilæis, facienda est intra confessionem: Benef. XIV. in Bulla inter præteritos præscripsit commutationes, & absolutiones a censuris, & aliis poenis canonicis ratione jubilæi debere conferri intra confessionem. Fateor videri, quod aptius, ac forsitan maturius posset fieri extra, sed cum aliud jubetur, obedire debemus. Confessarius gaudens facultate, & rogatus pro commutatione peccat, si absque causa renuat.

162. Inq. 6. An facta legitima commutatione possit vovens redire ad priorem materiam? R. negative: quia legitima facta commutatione, & acceptata, jam est aliud votum, vel prius sub alia obligatione, quam propria autoritate nequit vovens mutare. Ex quo deducant

communiter authores, quod si materia subrogata fiat impossibilis, non tenetur vovens ad priorem. Unde sive commutatio legitima sit facta in melius, sive in æquale, non potest vovens ad priorem redire. Si autem facta sit in minus per dispensationem, dicunt posse redire: sed revera deberent dicere posse quidem iterum vovere; verum redire ad priorem, non bene intelligitur, quia votum per commutationem mixtum cum dispensatione, extinctum vere est quantum ad priorem materiam: ergo non est in potestate vovens facere absque novo voto, ut illa reviviscat. Si autem facta, & admissa commutatione, iterum voveat priorem materiam, verius est teneri ad utramque, nempe ad priorem, & ad commutatam.

#### ПУКСТУМ VI.

*De cessatione voti per finis cessationem, impotentiam, & condonationem.*

163. Inq. 1. An cessante causa, seu fine cesset obligatio voti? R. cessante causa finali motiva proxima cessat votum: quia illa cessante, cessat voti materia; hæc enim solum promittitur in quantum conducit ad assequendum finem intentum: ut si promittas non intrare talem domum ad vitandum periculum ob mulierem ibi habitantem, hac mortua, vel alio eunte, cessat votum, quandiu illa abest; si autem domum eandem reverteretur, revivisceret votum; quia causa ejus regreditur. Verum per cessationem causæ impulsivæ minime cessat votum, ut si promittas elemosynam pauperi bene morato, teneris ad illam, licet postea talis non foret, nisi ex elemosyna numeret occasionem ad vitia.

164. Inq. 2. An per mutationem rerum supervenientem cesset obligatio voti? R. superveniente rerum mutatione notabili, & manifesta, potest cessare votum: quia, supposita tali mutatione, jam materia voti est diversa: ergo ad illam vovens non tenetur. Ut si promittas inservire per aliquot annos huic hospitali, si ibi superveniat pestis, non teneris, nisi ad hoc etiam expressè te obligasses, aut docus huic infirmitati plerumque obnoxius.

xius sit. Cæterum, esto superveniat aliqua mutatio, quam si prævidisses, non voveres, tenet votum; alias cum res humana continue mutationi subjiciantur, vix contractus, promissiones, aut alia pacta firma essent, ideo licet aliquis professione emissa jus ad Regnum acquireret, teneret professio. Solum igitur illa mutatio superveniens irritat votum, quæ juxta prudentium iudicium materiam voti diversam constituit.

165. Inq. 3. An per impotentiam vovens cesset votum? R. affirm. sive impotentia physica, sive moralis superveniat. Ut si promittas tali die audire sacrum, & infirmaris, aut in carcere detineris, in quo casu cessat obligatio voti ob impotentiam physicam: vel si non vales audire sacrum absque gravi periculo vitæ, honoris, aut famæ, liberaris a voto ob impotentiam moralem.

166. Inq. 4. An votum, vel juramentum emissum in utilitatem alterius cesset per ejus condonationem? R. si fiat principaliter in ejus utilitatem, cessat votum, aut juramentum, ut si alicui promittas, vel jures te ei personaliter servitutum, aut daturum pecuniam, per ejus condonationem cessat, & absolvitur votum, aut juramentum. Si autem principaliter in honorem Dei alteri promittas, aut jures aliquid facturum, non cessat votum, aut juramentum per ejus condonationem, ut si jures fratri te ingressurum religionem principaliter in Dei obsequium, & etiam, ut ille in majoratu succedat, quia in hoc casu, & similibus promissum non pertinet principaliter ad eum, sed ad honorem Dei, qui illud acceptavit. Ita D. Tb. 2. 2. q. 89. art. 9. ad 2.

## TRACTATUS DUODECIMUS

### DE SECUNDO DECALOGI PRÆCEPTO.

Postquam egimus de voto, statim agendum venit de juramento, quod est alius actus religionis, quo assumitur nomen Dei ad confirmandam veritatem, & pertinet ad secundum Decalogi præceptum. Noticia ejus valde necessaria est omnibus, præcipue Confessariis propter nimiam frequentiam jurandi: utinam non esset etiam perjurandi! Agit D. Thom. de juramento decem articulis immediate post votum 2. 2. q. 89.

#### CAPUT I.

##### De juramento.

#### ПУКСТУМ I.

*Nomen, natura, & divisio juramenti.*

1. Inq. 1. Unde dicatur juramentum? R. a jure: quia jure introductum est, ut quod invocatione Dei asseritur, pro vero habeatur. Dicitur etiam *jusjurandum* pluries in sacra pagina, & aliquoties *sacramentum* in jure canonico appe-

llatur, quatenus est quædam contestatio facta per aliquid sacrum, nempe divinum testimonium, ex quo *sacramentum* largo modo dicitur. Quomodoque vero nuncupetur, unum, & idem est juramentum, cujus naturam, divisionem, comites, & alias condiciones per sequentia puncta discutiemus.

2. Inq. 2. Quid sit juramentum? R. est *invocatio divini nominis ad fidem faciendam*: ponitur loco generis *invocatio*, in qua convenit juramentum cum oratione, a qua differt per sequentes particulas *ad fidem faciendam*. Invocatio hæc fieri potest, vel solum mente interius jurando, vel ore exterius profterendo, vel nutu interroganti annuendo, vel facto tangendo Evangelia, aut alium librum, putans Evangelia continere. Dupliciter potest invocari divinum testimonium, vel expresse diceudo: *juror per Deum*, vel implicite, seu tacite, quando juratur per creaturas nobiliores, ut per beatam Virginem, per Angelos, aut sanctos, per coelum, terram, aut animam rationalem, quatenus Deus in eis



splendet: per alias autem creaturas inferiores, ut per muscas, capillos, & similes non est juramentum. Quæ autem sint creaturæ, per quas vere juratur, & quæ non, difficile est assignare certam regulam; quare ex usu, aut acceptatione communi, & intentione jurantis plurimum pendet, ut puncto sequenti fusiùs dicemus.

3. Ex dictis sequitur juramentum esse actum religionis, & latriæ, quia jurans protestatur reverentiam Deo debitam per invocationem sui nominis ad fidem faciendam, esseque summe veracem, quod pertinet ad latriam; ut autem verum adsit juramentum, exigitur voluntas libera, & intentio jurandi, quia est actus humanus exigens a voluntate libera procedere; unde sicut vovens sine animo vovendi verum votum non elicit, ita jurans sine animo jurandi non emittit verum juramentum, esto assumat nomen Dei in vanum, & hac de causa peccatum committat.

4. Inq. 3. Quotuplex sit juramentum? R. juramentum dividi ex parte materia in assertorium, seu contestatorium, promissorium, comminatorium, & execratorium. Assertorium est assertio divino testimonio confirmata: ut *juro me tibi datum centum aureos*. Hoc juramentum duplicem habet ex se veritatem, prima de presenti, quæ est intentio adimplendi: secunda de futuro, quæ consistit in executione promissionis. Assertorium autem unam tantum habet veritatem, nempe de presenti, aut præterito. *Comminatorium est comminatio divino testimonio confirmata*, ut jurans infligere aliquam poenam. Hoc etiam juramentum duplicem habet veritatem, sicut promissorium. *Execratorium est execratio divino testimonio confirmata*. Hoc juramentum potest esse assertorium, promissorium, aut comminatorium. Erit assertorium, quando fit de re præsentis, aut præterita, ut dicitur: *Diabolus me arripiat, si verum non dico, aut heri non dixi*. Erit promissorium, dum fit promittendo; ut *peream, si tibi librum non dederò*. Erit comminatorium, cum fit minando poenam a se

infligendam, ut *peream, si non sumpsero de te vindictam*. Hoc dicitur execratorium implicitum; explicitum autem, si dicas: *Deus me perdat, si vindictam de te non sumpsero*, quia in isto explicite, in illo vero implicite Deus, ut testis, & judex invocatur. Distinguuntur ergo juramentum promissorium, comminatorium, & execratorium in eo, quod promissorium est de re, quæ placet alteri, comminatorium est de re, quæ displicet alteri, & execratorium de re, quæ displicet sibi.

5. Ex parte formæ dividitur juramentum in simplex, & solemne. *Solemne est*, quod fit cum aliqua solemnitate a jure, vel consuetudine præscripta, ut Evangelia tangendo. *Simplex est*, quod fit a quolibet privato sine ulla solemnitate; deinde dividitur in *judiciale*, & *extra-judiciale*. *Judiciale est*, quod fit in iudicio, vel coram iudice, & est multiplex, ut juramentum calumniæ, seu malitiæ, suppletorium, purgatorium, necessarium, & alia, quæ, quia non sunt nostri instituti, missa facimus. *Extra-judiciale est* juramentum privatum emissum extra iudicium. Dividitur etiam in *reale, verbale, & mixtum de reali, & verbali*. *Reale est*, cum juratur tangendo crucem, aut Evangelia: *verbale*, quod fit tantum verbis; *mixtum autem*, quod fit simul verbis, & tactu crucis, aut alterius rei sacræ. Denique dividitur in *absolutum, conditionatum, personale, reale, pœnale, mixtum de reali, & pœnali, reservatum, & non reservatum*, quæ omnia constant ex dictis de voto.

6. Inq. 4. An omnia juramenta sint ejusdem speciei? R. in ratione juramenti omnia sunt ejusdem speciei: quia ratio formalis juramenti consistit in adducere Deum in testem, vel in invocatione divini testimonii ad fidem faciendam; sed omnia conveniunt in hac ratione formali: erg. omnia sunt ejusdem speciei. Contingit autem, quod in eodem juramento reperiantur aliæ malitiæ speciei diversæ, ut blasphemia, inobedientia, injustitia, & aliæ plures: Nam qui in iudicio legitime interrogatus celat veritatem cum præiudicio proximi, triplex peccatum committit, nempe contra religionem juramenti, contra obedientiam

judicis, & contra justitiam proximi. In quolibet etiam juramento execratorio triplex malitia specie diversa reperitur, nam dicens ex animo, *cælum mihi deficiat, si tibi malum grave non inferam*, peccat primo contra justitiam desiderans proximo malum grave: secundo contra religionem, quia est juramentum de re mala gravi: tertio contra propriam caritatem, imprecando sibi cælum deficere. Similiter, qui jurans blasphemaret, ut *juro per vitam Dei*, peccati blasphemæ reus esset.

## РУКСТУМ II.

De diversis verbis, vel formulis, quibus juramenta fieri solent.

7. Inq. 1. An requirantur determinata verba ad emittendum juramentum? R. neg. quia per quæcumque verba nomen Dei tacite, vel expresse invocetur ad confirmandam veritatem, sufficit ad juramentum. Nihilominus omnia verba, seu formulæ, quibus juramenta communiter fiunt, ad tres classes reducuntur. In prima collocantur illa verba, quæ secundum communem usum, & acceptationem pro juramento accipiuntur, & juramentum constituunt; ideoque nisi manifeste constet de contraria intentione profertentis, in omni foro pro juramento habentur. In secunda sunt verba, quæ communi acceptione juramentum non efficiunt, nisi profertens declaret se illis verbis jurare voluisse. In tertia continentur verba ambigua, seu indifferentia, quæ aliquando juramentum præferunt, aliquando non. Unde ex modo, & intentione loquentis iudicandum erit, quando ut juramenta habenda sint. Pro majori luce sequentia exempla deservient.

8. Primi generis sunt ista: *juro per Deum: testis est mihi Deus: testem invoco. Deum vivum: sicut credo in Deum, ita est: juro per fidem Dei: per fidem Christi; similiter juro per meam vitam: per animam meam: per salutem meam: per cælum: per terram: per templum Dei: per habitum B. Virginis*. Quia in his omnibus Deum peculiariter elucere, & invocare communi consuetudine est receptum. Idem de istis: *sic Deus me ad-*

*juvet: Dæmon me arripiat: statim moriar, si ita non est: Hæc apud omnes sunt juramenta execratoria, & faciunt hunc sensum: Si non est verum, quod assero, Deus, quem in testem invoco, non me adjuvet, Dæmoni tradat, vitam privet*. Pariter sunt juramenta vovæ. *Deo ita esse: ego promitto tibi Deo: Hispane voto a Dios, yo le prometo a Dios: Quia licet in rigore potius sint vota, quam juramenta; tamen communi usu, & acceptatione pro juramento habentur. Hæc formula vivit Deus, vivit Dominus, quod hoc ita est, aut erit: verum constituit juramentum, ut constat ex variis locis sacræ paginæ.*

9. Secundi generis sunt: *per fidem meam: in fide mea: in fide boni viri: per fidem viri probi: in rei veritate: idem dicunt communiter authores de istis: in mea conscientia: per meam conscientiam: per fidem boni Christiani: in fide Christiani, religiosi, aut sacerdotis*. Nihilominus abstinendum est ab eorum prolatione, quia juxta aliquos juramentum constituunt; sicut qui diceret absolute: *juro me hoc facturum, vel hoc ita esse*; plures etiam sentiunt juramentum esse dicere: *per vitam mei equi: per conservationem hujus arboris, aut alterius rei inanimatæ*. Verum dicere: *juro per decem: juro per meam barbam: per memetipsum, vel juro per vida de quanto puedo jurar*, non est juramentum. Quia per nihil censetur jurare, cum per nihil jurare possit absque veritate, & necessitate. Dicens *juro per istam crucem, cruce non signata, vel formando circulum, aut triangulum juramentum non emittit*. Si autem diceret absolute: *juro per crucem Christi*, abs dubio juraret.

10. Tertii generis sunt: *Deus scit: Deus videt hoc ita esse: coram Deo ita est*. Nam talia verba, si profertantur invocative, vel animo adducendi divinum testimonium, sunt juramenta; non autem, si enunciative sumantur. Dicere: *occidar, interficiat, amputentur mihi aures, si ita non est* per modum execrationis sunt juramenta: quia faciunt hunc sensum: *Deus, quem testem invoco, mihi infligat talia mala, si ita non est*. Ceterum communiter non pro juramentis, sed pro quadam sponione sumuntur.



Idem est de istis: *sim nequam, mendax, infidelis, hæreticus, aut fur, si ita non est*: quia non invocat Deum in testem, sed solum illi malæ opinioni se submittit, si falsum asserere reperiatur. Item dicas de his formulis: *tot Angeli tollant animam meam, quot vicibus hoc feci: melius me Deus servet, adjuvet, aut foveat*: quia regulariter non execrative, sed optative dicuntur.

11. Hæc forma: *hoc verum est, sicut Evangelium, vel tam verum est, quam Deus existit, vel quam Christus est in Eucharistia*: si loquens intendat significare æqualitatem certitudinis, est blasphemia; non tamen reputatur communitur juramentum, nisi per illa verba intendat quis adducere Deum in testem. Si quis tædio affectus dicat, *per Deum*, nihil affirmans, aut negans, esto peccaret nomen Dei assumens in vanum, non tamen juraret. Hæc omnia, & similia plurimum pendent ex communi consuetudine, acceptione, & intentione, qua verba proferuntur.

## PUNCTUM III.

## De requisitis ad licitum juramentum.

12. An juramentum sit licitum? R. juramentum tribus comitibus emissum est laudabile, honestum, & licitum. Constat *Psal. 62. Laudabuntur omnes, qui jurant in eo*, & ex aliis locis sacræ pagine; sicut etiam ex pluribus exemplis sanctorum veteris, & novi testamenti; & denique ex jure canonico in *titulis de jurjurando, & de testibus*. D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 2. probat hanc veritatem catholicam, tum ex origine, quia juramentum est introductum per fidem, qua homines credunt Deum habere infallibilem veritatem: tum ex fine, quia juramentum inducitur ad firmandum homines in promissis, & ad controversias finiendas.

13. Objic. *Matth. 5. prohibet Dominus jurare*; & *Jacobus* Apostolus in sua canonica *cap. 5. dicit: Ante omnia fratres mei, nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum*: ergo hoc non est licitum. R. Christum Dominum, & D. Jacobum solam reprobare facilitatem jurandi: quia

nemo frequenter jurat, quin aliquando perjuret. Juramentum autem emissum cum triplici comite est actus religionis, proindeque honestus, & licitus. Nihilominus sermo Christianus debet esse sincerus, & simplex ad normam Evangelii: est, est, non; quando autem hoc non sufficit, & necessitas cogit, additur juramentum, ut medicina humanæ incertitudinis; qua ratione dicit Dominus, quod juramentum a malo est.

14. Inq. 2. Quot sint comites juramenti? R. Sunt tres, nempe, *veritas, justitia, & judicium*: juxta illud *Jerem. 4. Jurabis, vivit Dominus, in veritate, judicio, & justitia*. Veritas juramenti consistit in eo, quod quis juret rem prout habet in mente, vel arbitratur esse. Hæc est veritas substantialis omnis juramenti: in promissorio autem, executio promissionis dicitur secunda veritas. *Justitia* consistit in eo, quod res jurata sit licita, & honesta, non prava, aut impossibilis. *Judicium* in eo, quod fiat cum discretione, causa, & necessitate.

15. Inq. 3. An jurare falsum in materia levi sit peccatum mortale? R. affirm. Constat ex propos. 24. proscripta ab Innoc. XI. *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propterquam velit, aut possit damnare hominem*. Ratio est, quia adducere Deum in testem falsitatis est gravissima irreverentia, etiam in re levi; imo quanto levior res est, tanto gravior est irreverentia, culpa, & malitia: qua ratione in veritate substantiali juramenti non datur paritas materiæ, nisi ex indeliberatione, aut inadvertentia. Nec joci causa jurare minuit culpam, quia gravior peccat, & derogat Dei honori sic jurans, assumendo nomen divinum in testem falsitatis sola joci causa, quod est gravissima irreverentia.

16. Inq. 4. An qui rem dubiam jurat ut certam, peccatum grave committat? R. affirm. quia sic jurans revera mentitur, vel asserendo rem dubiam, ut certam, vel certam, ut dubiam. Idem est de jurante absolute, animo dubio adimplendi rem juratam, & de quocumque jurante rem aliter, ac habet in mente. Jurans vero in sensu hyperbolico non peccat graviter, quia in eo sensu verum profert,

fertur, ut qui juraret, *Petram divitem infinitas possidere divitias*: amore infinito se aliquem diligere: quia hæc, & similia intelliguntur indicare excessum in divitiis, aut amore, & hyperbolice dici per exaggerationem. Abstineendum tamen est à similibus, etiam absque juramento profertur, quia ut diximus, sermo Christianus debet esse purus, ac simplex.

17. Inq. 5. An possit exigi juramentum ab eo, qui prævidetur falso juraturus? R. nemini ut personæ privatæ hoc est licitum: quia personæ privata cooperaretur ad perjurium alterius; tamen ut Judex ad instantiam partis exigere potest, quia ordo, & officium judicis id postulat. Si autem ignores, aut dubites, an alius juraturus sit falsum, potes exigere ab eo juramentum, quia in dubio nemo præsumitur malus, & potest esse utile ad recuperandum, quod aliter non valet, nisi medio juramento.

18. Objic. 1. Licitum est petere juramentum a Pagano juraturo per Deos falsos. *Secundo* licet exigere, necessitate cogente, pecuniam a parato illam dare sub usuris: ergo similiter justa necessitate recuperandi debitum licitum erit petere juramentum a parato jurare falsum. R. Ad primum, quod in juramento per falsos Deos intenditur veritatis confirmatio, quod quidem assequimur in juramento Pagani, non autem in juramento aperte falso. *Ad secundum*, quod in petitione pecuniæ intendimus necessitati succurrere, quod non fit per juramentum cognitum ut falsum, ex quo nulla utilitas oritur. Agnoscimus validas instantias, quæ militant contra solutionem: sed ita debemus sentire, quia est doctrina expressa D. Th. qui cum D. Aug. illam docet 2. 2. q. 98. art. 4. ad 8. ubi ait: *quod licet malo uti propter bonum, sicut, & Deus utitur, non tamen licet aliquem ad malum inducere. Unde licet ejus, qui per falsos Deos jurare paratus est, juramentum recipere. . . . Alia tamen ratio videtur esse in eo, qui per verum Deum falsum jurat.*

De juramento. PUNCTUM IV.

De animo, & certitudine requisitis ad licitum juramentum.

19. Inq. 1. An requiratur animus jurandi ad juramentum? R. affirm. Quia juramentum esse actus humanus inducens obligationem: ergo requiritur animus, & consensus voluntatis. Hoc adstruitur a Concina *lib. 5. in Decal. Dis. 2. cap. 4. n. 7. his verbis: juramentum pendere ab intentione jurantis, adeo ut necessaria sit intentio, seu voluntas jurandi, ut juramentum obligationem pariat, certum est apud omnes: quia actiones humane, quæ pariant obligationem, consensum requirunt voluntatis; qui consensus non datur ab eo, qui positive nolit illum dare*. Sed n. 17. oppositum mordicus defendit, asserens juramentum deliberatum sine animo jurandi esse verum juramentum: quod utique impicatorium videtur, quia vel requiritur animus jurandi ad juramentum, vel non? Si primum, implicat juramentum absque animo jurandi. Si secundum, opponitur communi sensui Theologorum, & sibi ipsi, ut ex ejusdem verbis proxime relatis patet.

20. Si diceret jurantem absque animo jurandi jurare in foro externo, & apud homines, nullum haberet adversarium: quia apud homines, qui non vident cor, verum creditur eliciuisse juramentum, & ita obligat in foro externo; cæterum in foro interno, de quo loquimur, repugnat verum juramentum absque animo jurandi. Insuper ex opinione Concina, non levia absurda sequuntur: sequitur enim, quod Sacerdos, qui deliberate profert verba consecrationis, absolutionis, aut baptismi absque animo, & intentione efficiendi sacramentum, vere consecrat, absolvit, & baptizat: qui profert verba officii divini absque animo recitandi, vere recitat: qui profertur solis verbis cum voluntate contraria proficendi, vere professus manet, & sic de aliis, quæ omnia sunt error intolerabilis in sacra Theologia.

21. Inq. 2. An sit licitum jurare absque animo jurandi? R. ex nulla causa hoc esse licitum. Constat ex propos. 25.



damnata ab Innoc. XI. *Cum causa licita est jurare, sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.* Imo jurare falsum sine animo jurandi, etiam in re levi est peccatum mortale: quia nomen Dei graviter profanatur per fictam ejus invocationem. Eadem ratione jurare verum sine animo jurandi in materia gravi est peccatum letale, quia illud nomen Dei absque causa, & est gravis deceptio humanæ societatis: in materia autem levi solum intervenit quædam inordinatio, quæ supposita veritate, levem culpam constituit.

22. Inq. 3. An jurans absque animo se obligandi maneat obligatus? R. primo, quod jurans absque animo jurandi, aut se obligandi tenetur ad juramentum implendum, dum ex violatione sequitur alterius damnum, aut scandalum: quia quilibet tenetur cavere, ne suis verbis, aut actionibus sequatur damnum, aut scandalum alterius. Ideo jurans absque animo jurandi, aut se obligandi puellæ matrimonium pro usu corporis, hoc assecuto, tenetur ad matrimonium, non solum ratione damni illati, sed etiam ad tuendum divinum honorem, ubi creditur fuisse vere invocatum; alias ex opposito non parvum tribueret scandalum.

23. R. 2. Inintelligibile videri nolle se obligare, & velle serio jurare, sicut nolle se obligare ad professionem, & velle serio profiteri; quia ratione diximus tract. præcedenti num. 16. voventem absque animo se obligandi, non vere, sed fecte vovere. Qui ignoranter putaret posse vere jurare, quin contrahat obligationem, & juraret expresso dissensu ad illam, nullum emitteret juramentum, quia contractus ex errore circa substantialia est nullus. Qui vero ignorans obligationem juramenti juraret intendens facere, quod alii faciunt, maneret obligatus, quia virtualiter vellet obligationem. Tandem si quis stupidus vellet serio jurare, & adducere Deum in testem absque animo se obligandi, teneretur ad implendum, quod serio juravit, propter reverentiam juramenti, & quia promissio vera adimpleri debet juxta dicta loco citato.

24. Inq. 4. Quæ certitudo sit necessaria ad jurandum? R. non sufficere illam certitudinem, quæ est sufficiens ad ho-

nestandum actus humanos, sed requiri ampliore per rationes, & fundamenta gravissima, quæ nos certos reddant de re juranda: quia ad honestatem actus humani sufficit opinio probabilior, sed ad jurandum hoc esse verum, exigitur major certitudo. Possunt enim prudenter judicare verum id, quod opinor probabilius; nequeo autem jurare absolute illud esse verum, sed mihi ita videri; & hoc est propter periculum magnum, & propter Dei magnitudinem, cujus testimonium in juramento invocatur: inquit D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 3. ad 3.

25. Unde ad jurandum rem ut veram, sive in judicio, sive extra judicium, non sufficit illam audire a persona quantumvis fide digna, nec hoc potest consulti, sed jurandum est, prout rei notitia habetur: hoc est, si scis ex auditu debes jurare te audivisse, vel scire ex auditu; si scis ex visu, te vidisse. Ex quo sequitur, quod si Petrus debeat centum aureos Joanni, & iste certiore te faciat veritatis debiti, non potes jurare verum esse tale debitum, sed tibi verum videri, aut te audivisse esse verum. Pariter si scholasticus egeat tuo juramento ad probandum cursum, cui recte interfuit, sed non vidisti illum interesse, esto alibi tibi de veritate notitiam præbeant, non potes jurare ipsum interfuisse, sed verum tibi videri. Si autem illum pluries, aut frequenter vidisses scholis adstitisse, licet non quotidie, poteris jurare communem ejus assistentiam; neque amplius exigitur ad cursum probandum.

#### PUNCTUM V.

##### De justitia, & judicio Juramenti.

26. Inq. 1. An defectus justitiæ in juramento sit peccatum grave? R. 1. defectus justitiæ in materia levi, sive in juramento assertorio, sive in promissorio est peccatum leve. Ut si jures te heri leve mendacium protulisse, vel aliquid malum leve commissurum, aut facturum aliquid contra consilia evangelica; quia per hæc, & similia, supposita veritate, non gravis irreverentia Deo irrogatur; non enim juramentum cadit supra rem

ut

ut malam, sed ut veram, & alias est levis: erit ergo duplex peccatum veniale in juramento promissorio, aliud ob pravum propositum faciendi malum leve, aliud ob juramentum male elicium. Similiter adimplens juramentum rei venialis, regulariter committit peccatum leve, quia ut in plurimum procedit quadam vulgari ignorantia, qua existimat tale juramentum esse observandum. Si autem pertinaciter teneret debere observare talia juramenta, blasphemiam practicam abs dubio committeret, intendens adducere Deum ad pravitatem approbandam. Vid. tract. præced. n. 47.

27. R. 2. defectus justitiæ, sive in juramento assertorio, sive in promissorio in re gravi est peccatum lethale: quia apud omnes materia juramenti debet esse licita, aut honesta: erg. si est graviter mala, juramentum evadit graviter malum, & consequenter grave peccatum. Unde confirmare juramento gravem detractionem contra proximum, esto veram, vel propriam culpam lethalem, etiam veram, gravis irreverentia divini nominis est. Hæc sententia quoad detractionem, seu infamiam alterius juramento confirmatam ab omnibus amplectitur: quoad propriam autem culpam communior est inter Thomistas.

28. Inq. 2. An defectus judicii in juramento sit grave peccatum? R. quod regulariter solum est peccatum leve, consistit enim defectus judicii in jurando absque causa, aut necessitate: quod quidem, supposita justitia, & veritate, tantum est culpa venialis. Sex causas ad jurandum assignat D. Thom. in Ep. ad Hebr. lect. 4. cap. 6. videlicet: *Prima*, pro pace firmanda. *Secunda*, pro fama conservanda. *Tertia*, pro pignore fidelitatis. *Quarta*, pro obedientia præstanda. *Quinta*, pro securitate adhibenda. *Sexta*, pro veritate attestanda. Numquam est licitum juramentum absque aliqua ex his causis: numquam autem ex defectu solius causæ est grave peccatum; nisi ex nimia facilitate jurandi incurratur periculum pejerandi, tunc enim propter temeritatem, & periculum pluries est mortale. Ideo Confessarii severe corripiant frequenter jurantes, licet falsum non jurent: quia nomen Dei sanctum, & ter-

ribile solum cum reverentia invocandum est. Si defectus judicii sit in inquisitione veritatis, erit gravis, ut levis juxta qualitatem negligentiam; licet hoc potius sit defectus veritatis, quam judicii, ad quod proprie solum attinet perpendere utilitatem, causam, aut necessitatem juramenti.

29. Ex dictis patet prorsus esse improbanda juramenta quorundam hominum, qui vulgo dicuntur *Fracmasones*, aut *Muratori*, utpote aliena ab omni justitia, & judicio requisito in juramento. Contendunt enim sacramento juramenti se tueri ad nulli manifestandum, quæ in eorum conventiculis aguntur, ut constat ex constit. Clem. XII. quæ incipit: *In eminenti*. Et ex altera Benedic. XIV. an. 1751. prioris confirmatoria, cujus initium est: *Providas Romanorum Pontificum*; in quibus justissime proscribuntur illorum societates, & conventicula secreta sub excommunicatione lata sententiæ Pontifici reservata. Colligitur etiam non scite quendam recentiorum scripsisse, illos esse entia rationis solum objective existentia, quoniam summos Præsules non credimus contra entia rationis unquam fulminasse sententiam excommunicationis, aut aliam censuram ecclesiasticam.

30. Inq. 3. An aliquando sit obligatio jurandi? R. adest in duplici casu, nempe quando a Superiore legitimo exigitur juramentum, & quoties necessarium est ad subveniendum proximo, vel sibi. In primo obligat ex obedientia. Unde si legitime jussus renuas jurare, peccas graviter contra obedientiam Superiori debitam. In secundo obligat ex caritate: quia lex caritatis præcipit subvenire sibi, vel proximo modo licito, & præsertim facili, quale est juramentum. Non tamen teneris ad restitutionem damni secuti ex omissione: quia supponitur te non teneri ex justitia ad jurandum. Ex dictis sequitur, quod perjurare est adducere Deum in testem sine veritate, justitia, aut judicio: licet propriissime perjurium sit: adducere Deum in testem falsitatis.



Punctum VI.  
De veritate juramenti promissorii.

31. Inq. 1. An qui non habet animum adimplendi juramentum, promissorium sit perjurus? R. affirm. quia jurans absque animo adimplendi est mendax, emittitque falsum juramentum, in quo non est parvitas materiæ nisi ex imperfecta deliberatione. Unde sicut in juramento assertorio graviter peccat, qui rem dubiam ut certam jurat, ita in promissorio mortale committit jurans animo dubio adimplendi, vel credens se non posse implere, vel non habens rationem validam possibilitatis adimplendi. In juramenti autem, quæ causa urbanitatis sunt, de non ingrediendo, aut sedendo prius altero, sufficit habere animum conformem sensui, in quo talia proferuntur: nempe quantum ad me atinet, vel quantum est in me, non prius ingrediari, non prius sedere. Cavendum est autem omnino ab his juramentis, quibus urbanitas Christiana ad suavitatem minime indiget.

32. Inq. 2. An defectus secundæ veritatis in juramento promissorio sit grave peccatum? R. Primo, quod ommissio adimpletionis juramenti promissorii in materia gravi est peccatum mortale: quia gravis Deo irrogatur injuria violando promissionem gravem suo nomine confirmatam. Hoc apud omnes est compertum; præcipua autem difficultas versatur circa materiam levem secundæ veritatis, vel circa adimpletionem promissionis in materia levi. Pro qua aliqui distinguunt dicentes, quod ommissio totalis est peccatum grave, ut si jurasti recitare unum Ave Maria, & omittis, peccas graviter. Si autem ommissio sit partialis, dicunt non excedere culpam venialem, ut si jurasti recitare rosarium, & omittis solum prædictam salutationem, peccas leviter. Sed hæc distinctio ut inutilis rejicitur ab aliis.

33. R. igitur Secundo defectum veritatis secundæ in materia levi sive totali, sive partiali non esse peccatum grave perjurii. Prob. rat. quia promittens juramento rem futuram solum ad-

ducit Deum in testem veræ promissionis animi, & intentionis adimplendi: erg. supposita veritate promissionis, animi, & intentionis, esto postea omittat, non est mendax, sed infidelis; quia mendacium juramenti proprie consistit in prolatione opposita menti, aut intentioni qua ratione jurans absque intentione adimplendi, licet postea adimpleat, vere mendax fuit: erg. econtra promittens vera intentione adimplendi, non adducit Deum in testem mendacii, & consequenter omittens materiam levem, non irrogat ei gravem injuriam.

34. Confirmatur 1. quia mendacium est contra præceptum negativum non mentendi: sed ommissio materiæ juratæ non est contra præceptum negativum, sed contra affirmativum adimplendi, ut ex se patet: erg. non est mendacium formale, sed infidelitas: alias ex nulla causa posset omitti, nec dispensari promissio jurata, ut ex se patet, & dicimus infra num. 89.

35. Confirmatur 2. Vere promittens animo adimplendi, si postea non adimpleat, non mentitur, sed infideliter agit, ut dicit D. Thom. 2. 2. q. 110. art. 3. ad 5. erg. similiter jurans animo adimplendi, & non adimplens, est infidelis, sed non mendax. En verba Angelici: *Ad quintum dicendum, quod ille, qui aliquid promittit, non mentitur: quia non loquitur contra id, quod gerit in mente. Sed vero non faciat, quod promissit, tunc videtur INFIDELITER agere.*

36. P. Concina miratur D. Thomam adduci posse loco citato ad intentum: quia inquit, Angelicus in ea non loquitur de juramento, sed solum de promissione. Verum absque causa miratur Concina, quia revera locus laudatus, ubi agit Angelicus de promissione, optime probat intentum. Quid enim est juramentum promissorium, nisi promissio jurata? Numquid per juramentum promissio suam amittit naturam? Nonne juramentum sequitur naturam actus, cui adheret? Hac ratione juramentum promissorium admittit easdem exceptiones, conditiones, & extensiones, quas promissio, vel contractus, cui adjungitur. Omnia sunt comperta: erg. si non mentitur vere promit-

mittens in omissione adimpletionis, utique idem est de promissione jurata. Differentia solum stat in eo, quod promissio simplex tantum obligat ex virtute fidelitatis, jurata vero etiam ex virtute religionis; ideo plus obligat hæc, quam illa; in ordine autem ad mendacium, aut veritatem nulla est differentia. Nec Angelicus aliud dicit in responsione objectionis art. 7. nisi quod ad veritatem promissionis juratæ requiritur firmiter animus, quam ad veritatem simplicis promissionis, quod est verissimum.

37. Propterea agnoscens Concina nihil sibi juvare prædictam auctoritatem, recurrit ad corpus articuli, ubi Angelicus dicit, quod si non ponatur res promissa, deest veritas in juramento: sed nec hoc evincit suam positionem, quia in primis Angelicus, & alii patres, quos adducit, loquuntur de juramento ex genere suo, vel de juramento ut sic, quo pacto a nemine dubitatur obligare graviter ad sui adimpletionem.

38. Deinde respondetur, quod deest veritas rei, non veritas mentis, hæc est indivisibilis, non admittens parvitatem materiæ; illa divisibilis est, & parvitatem materiæ admittit: quod ipse Concina fatetur diss. 6. cap. 1. n. 10. dicens jurantes quandoque mortaliter, quandoque venialiter peccare, si negligant defendere statuta communitalis: erg. adimpletio rei juratæ admittit parvitatem materiæ. Nequit non concedere consequentiam: quia præcise concessa, cogitur explicare ly deest veritas de veritate rei; nam veritas mentis non admittit parvitatem. Igitur in omissione executionis rei levis juratæ non deest veritas substantialis constitutiva juramenti: constituitur enim formaliter juramentum verum, aut falsum, non per aliquid futurum, sed per mentem, intentionem, & prolationem præsentem, ut statim videbimus ex Angelico.

39. Dices: erg. juramentum promissorium non differt ab assertorio. R. disting. conseq. Non differt in veritate formali, conc. conseq. in re jurata, seu in modo jurandi, nego conseq. Quia juramentum assertorium non distinguitur a promissorio in eo, quod hoc pendeat in sua veritate substantiali a futura execu-

tionem; sed in eo, quod assertorium nihil promittit: promissorium autem promittit executionem veritatis de presenti. Unde veritas formalis in omni juramento semper est de presenti; executio autem rei juratæ pertinet ad fidelitatem, & est velut probatio veritatis, aut jam transit formaliter. Concina ipse sibi se opponens ait: *Aliud est mentiri: aliud promissum non servare*: erg. fateri cogitur non esse mendacium omissionem rei promissæ, & re ipsa id fatetur tom. 7. pag. 90. n. 24.

40. Pro veritate igitur formali, seu confirmando jurantis proposito adducitur Deus ut testis in juramento promissorio, ut aperte docet D. Thom. in 3. Sent. dist. 39. q. 1. art. 4. ad 2. ubi ait: *Ad secundum dicendum, quod futurum non potest habere veritatem determinatam nisi in sua causa, quæ determinatur ad effectum per propositum fixum de aliquo faciendo, & tale propositum significat se habere, qui jurat se aliquid facturum*. Quo quid clarius?

41. Inq. 3. An promittens aliquid sub juramento possit illud revocare ante acceptancem? R. si promissio fiat Deo, aut in ejus honorem, revocari nequit: quia prout sic coincidit cum voto, quod statim a Deo acceptatur, & ad sui adimpletionem obligat juxta illud Matthæi 5. *Reddes Domino juramenta tua*. Si autem in favorem tertii promissio facta sit, valet ante ejus acceptancem revocari, quia juramentum sequitur naturam principalis, quod in presenti est ipsa promissio, de cujus natura est posse revocari ante acceptancem.

42. Inq. 4. An veritas, & justitia observari debeant in juramento comminatorio? R. affirm. quia coincidit cum promissorio, ideo debet fieri animo adimplendi, infligendique poenam justam, nam si fiat absque tali animo, est proprie perjurium, seu juramentum falsum. Si poena sit injusta nimis excedens, jurans animo illam infligendi duplex grave peccatum committit, aliud contra justitiam juramenti, aliud contra justitiam proximi. Igitur juramentum de infligen-



da poena justa, si multum conducatur ad Dei honorem, sub gravi observandum est.

43. Excusari tamen quis potest ab ejus impletione, aut saltem a mortali in quinque casibus. 1. cessante causa, vel quoties supervenit ratio non puniendi scilicet, aut servum, ut si humiliter veniam petivit, aut amicus ad hoc intercessit: quia talia juramenta sunt sub conditione, quod res non sint variata, aut causa non cesset. 2. quando comminatio oritur ex ira, vindicta, aut alia passione, quia ut sic non est de materia licita. 3. quando ex aliqua ratione punitio esset imprudens, quia juramentum ad nihil imprudens obligat. 4. excusantur a mortali parentes, aut domini jurantes se filios, aut servos occisuros, brachia, aut capita fracturos, vel quia regulariter loquuntur hyperbolice, vel ad indicandam gravem punitionem, ad quam infligendam habere debent intentionem, ne falsum jurent. 5. Pateri jurantes se alios accusaturos apud parentes, aut magistros excusantur ab accusatione, vel quia sæpe jurant ex ira, aut alia passione, vel quia eam omittunt causa melioris boni, ut vitandi rixas, aut pacis conservandæ.

#### PUNCTUM VII.

##### De obligatione, & materia juramenti.

44. Inq. 1. Quanta sit obligatio juramenti? R. esse gravissimam ex genere suo; quia procedit ex autoritate divini testimonii: unde perjurium est peccatum gravius, quam homicidium, & alia crimina contra justitiam: nam perjurium directe tendit contra Dei honorem. Nilominus violatio voti gravior est transgressione juramenti promissorii: quia per violationem voti divina autoritas immediatius læditur; votum namque proximius fit Deo, quam juramentum promissorium homini factum. Coeterum obligatio juramenti assertorii, & etiam promissorii circa veritatem formalem de presenti gravior est obligatione voti, quia ratione peccatum gravius est perjurium formale, quam violatio voti, & ita intelligendum est, quod diximus cum D.

Thom. tract. præc. n. 64.

45. Inq. 2. Quæ sit materia juramenti? R. Quod materia juramenti emissa in honorem Dei debet esse de meliori bono, sicut materia voti, quia tale juramentum coincidit cum voto. Materia autem juramenti, quod fit homini, debet esse licita, & bona, aut saltem indifferens: quia juramentum non est vinculum iniquitatis. Idcirco juramentum de re illicita, etiam venialiter, nullatenus obligat; res autem indifferens, ut talis, esto non sit materia voti, aut juramenti Deo facti, valet esse materia juramenti facti homini, quia hoc juramentum obligat, quoties absque culpa impleri possit ex cap. *Quamvis pactum, de pactis in 6.* ubi dicitur juramentum factum homini esse observandum, nisi ejus observatio vergat in dispendium salutis æternæ. Res autem indifferens non vergit in tale dispendium: imo semel jurata exiit rationem indifferens, & transit in actum religionis, nisi sit omnino inutilis, in quo casu non obligaret.

46. Similiter juramentum factum homini, licet impediatur majus bonum, aut sit contra consilia, observari debet, quia potest impleri absque peccato. Unde sponsalia jurata obligant, esto majus bonum impediatur ex cap. *Commissum, de sponsal.* Imo esto juramentum sit illicitum, & a jure prohibitum, si absque culpa res promissa possit præstari, vere obligat, ut jurans meretrici sui corporis mercedem, teneatur ad eam solvendam, quia, supposita culpa, solutio mercedis est licita. Insuper licet promissio sit jure irrita, obligat, quoties sine culpa exequi valeat, ut promissio solvendi usuras, quæ esto jure irrita, tamen jurata obligat ad solutionem. Eodem modo juramentum per metum extortum obligat, quandiu non relaxetur, ut jurans pecunias latroni metum ad illas extorquendas incutienti teneatur solvere, licet possit statim eas repetere, cap. *Si vero, de jure jurando.* Circa juramentum dolo, aut errore emissum vide tract. præc. cap. 1. punct. 12.

47. Inq. 3. An si duo concubinari sibi invicem jurent, quod nullam aliam personam carnaliter cognoscent, teneantur ad juramentum? R. Affirm. quia promissum est bonum, & potest impleri si-

ne

ne peccato; nam licet ortum duxerit ex præterita turpitudine, possunt, & debent contineri ab ulteriori, tam secum, quam cum aliis.

48. Inq. 4. An obliget juramentum de promissione prodiga? R. si res prodigæ promissa sit impartibilis, non obligat, quia sicut promissio, etiam datio esset prodiga, & illicita. Si vero partibilis sit, obligat ad partem, quæ non prodiga, sed justa reputetur; quia hæc, non alia tribui valet absque culpa.

49. Inq. 5. An jurans redire ad carcerem, ad quam damnatus est, teneatur ad reditum, etiam cum periculo mortis? R. teneri, sive poena carceris sit justa, sive injusta, quia ut dictum est, juramentum impleri debet, quoties absque culpa valeat; in presenti autem valet, cum licitum sit exponere se periculo mortis ob aliquod motum virtutis. Eadem ratione captivus apud infideles jurans redire, aut non fugere, vel solviturum pretium pro redemptione, tenetur in libertate positus ad observandum juramentum; alias daretur occasio contemnendi nomen Dei, & Christianam religionem.

#### PUNCTUM VIII.

##### De prava jurandi consuetudine.

50. Inq. 1. Quid intelligatur pro consuetudine jurandi? R. Quod consuetudo jurandi nihil aliud est, quam facilitas, seu proclivitas jurandi ex repetitione, & frequentia juramenti: quia facilitas, seu habitus cujuscumque facultatis generatur per repetitionem actuum ejusdem facultatis. Quælibet consuetudo potest considerari quatuor modis: primo *active*, seu *in fieri*, quo pacto actus repetiti sunt causa consuetudinis. Secundo *formaliter*, quo pacto est ipsa consuetudo causata. Tertio *concomitanter*, quo pacto est ipsa consuetudo conservata, seu conservatio consuetudinis. Quarto *consequenter*, quo pacto sunt peccata ex consuetudine orta, vel ipsa consuetudo, ut causa peccatorum sequentium.

51. Inq. 2. An juramenta procedentia absque plena advertentia ex prava consuetudine sint peccata mortalia? R. 1. juramenta provenientia ex prava consue-

tudine, sive jurandi falsum, sive absque sufficienti cautela an verum, vel falsum sit, quod juratur, vel an juret nec ne, esto emittantur sine plena advertentia, esse peccata mortalia, non solum in causa, sed etiam formaliter in se. Quia talia juramenta sunt libera in causa, quæ voluntarie admittuntur, & conservantur: ergo sunt in se peccata mortalia; ad peccatum quippe mortale non semper requiritur libertas directa, sed sufficit indirecta, aut virtualis, prout in presenti adest. Imo licet aliquando procederent ex aliqua subita passione, & non ex consuetudine, quo pacto excusari poterant a mortali; tamen in habente consuetudinem mortalia regulariter censenda sunt; quia in moralibus ex frequentier contingentibus judicandum est.

52. R. 2. consuetudinem passim jurandi, esto non falso, absque ulla necessitate, esse grave peccatum, tum propter scandalum audientium, tum propter pravam educationem filiorum, famulorum, & aliorum inferiorum in parentibus, magistris, aut dominis, tum propter irreverentiam divini nominis, quod per talia juramenta in quolibet ludo, aut negotio ad singula pene verba adjuncta graviter profanatur: tum propter periculum perjurandi; nam ut dicitur cap. 29. *de jure jurando: ex frequenti, & incauta juratione perjurium sæpe contingit.* Ex Eccles. 23. *Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet a domo illius plaga.*

53. Inq. 3. An poenitens teneatur manifestare in confessione pravam jurandi consuetudinem? R. 1. certum esse apud omnes poenitentem a Confessario interrogatum teneri consuetudinem cujuscumque peccati manifestare. Constat ex propos. 58. proscripta ab Innoc. XI. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*

54. R. 2. Poenitentem teneri manifestare consuetudinem primo, & tertio modo supradicto, nempe in fieri, & concomitanter, hoc est dum illam admittit, & conservat omitendo voluntarie ejus expulsionem. Sicut tenetur aperte fateri admissionem, & retentionem occasionis proximæ voluntarie. Quia consuetudo, aut occasio sub præfatis circumstantiis est

no-



novum, & distinctum peccatum ab ipsis actibus ex ea consecutis. Nam licet se ponere in occasione peccati non sit distinctum peccatum ab eo, ad quod se exponit, quando moraliter conjunguntur, qui enim vult furari, quaerit occasionem, & se ponit in periculo furandi: tamen quando peccatum, & ejus occasio, seu periculum moraliter discontinuantur, ut in concubinario, vel alio conservante occasionem voluntariam, seu consuetudinem peccandi, distincta peccata sunt, appetenda manifeste in confessione.

55. R. 3. Licet aliqui existant poenitentem teneri indirecte manifestare consuetudinem peccandi secundo, & quarto modo, hoc est formaliter, & consequenter, ut Confessarius plenius iudicium efformet de satisfactione injungenda; ceterum, quia manifestatio admissione, & conservatione consuetudinis, & culpis ex eis consecutis sufficienter declarantur peccata, & status poenitentis, nihil amplius requiritur ad hoc, ut Confessarius efformet iudicium de congruente satisfactione applicanda: præmissa quippe manifestatio est sufficiens declaratio consuetudinis ceteris modis.

56. Inq. 4. An absolvi possit, aut debeat, habens pravam jurandi consuetudinem? R. Quod hæc difficultas decidenda est juxta doctrinam tradendam tract. 27. n. 298. ubi, tanquam in proprio loco, agemus de absolute suspensione, neganda, vel concedenda consuetudinariis omnibus.

57. Igitur semper, ac anceps sit Confessarius de profectu, & emmenda, aut dolore poenitentis differat, suspendat, aut denegat absolutionem; vulnera enim iterata difficiliter sanantur, & remedia acriter deponunt. Experientia docet utilius esse absolutionem differre, quam concedere. Vix de absolute negata nos poenitet, pluries de concessa. Pro majori luce, & confirmatione hujus doctrinæ præ oculis habenda est propositio 60. damnata ab Innoc. XI. *Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, licet emendationis spes nulla appareat, nec est deneganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.* Vid. tract. X. n. 187.

58. Ex dictis sequitur graviorem poenitentiam imponendam esse hujusmodi poenitenti consuetudinario. Pro quo illum de poenitentis antiquitus designatis a canonibus perjurantibus admoneat: ex quibus D. Basilius in canon. 64. epist. ad Amphilochem undecim annorum poenitentiam, abstinentiamque a communione toto illo tempore perjuriis imponit. Alter canon pro quolibet perjurio quadraginta dierum jejunium in pane, & aqua assignat, & insuper per septem annos poenitere cum privatione communionis præscribit.

59. Pariter curandum est Confessario alias poenitentias medicinales huic crimini assuetis imponere adimplendas illi post juramentum prolatum, nimirum ut pro quolibet aliquam elemosinam tribuant, si possint, vel terram osculentur, crucem lingua in terra efformet, aliquam orationem, ut *salve*, aut *credo*, pro unoquoque recitent, & præ omnibus sacramentorum frequentiam eis præscribat. Cautionem vero juratoriam minime exigat, ne novum laqueum injiciat. Cautio quippe juratoria solum exigi debet, quando in jure est expressa, ut ab excommunicato notorio, ab incendiario Ecclesiarum, a manifesto raptore, & violatore earum, ab usurario publico, & ab injuriante publice personam ecclesiasticam.

## PUNCTUM IX.

Quando juramentum confirmet contractum.

60. Inq. 1. An juramentum contractui adjectum sit validum, quando non confirmat contractum? R. Omne juramentum, quod absque culpa impleri possit, & a jure non irritetur, esse validum, esto non confirmet contractum; quia omne juramentum, quod non vergat in præjudicium salutis æternæ, observandum est, ut supra diximus: erg. est validum, licet non confirmet contractum, ut juramentum dandi latroni pecunias, quod validum est, licet non confirmet promissionem pecuniarum. Si autem jus irritat non solum contractum, sed etiam juramentum illi additum, est invalidum, ut renuntiatio, & dispositio jurata no-

vi-

viti facta absque licentia Episcopi, vel ejus Vicarii intra duos menses proximos professioni, quam penitus irritat Trid. Sess. 25. cap. 16. de Reg. Idem est de juramento facto in favorem tertii, non acceptato ab eo, vel ab alio pro eo, quod revocari potest ante acceptance.

61. Inq. 2. Quæ differentia datur inter juramentum confirmans contractum, & inter non illum confirmans, esto validum? R. Dari triplicem differentiam. *Prima* est, quod juramentum confirmans contractum obligat ex religione, & ex justitia; juramentum vero validum non confirmans contractum, solum obligat ex religione, ut in exemplo latronis, cui pecunia tantum debetur ex vi juramenti, non ex vi promissionis, quæ irrita est a jure. *Secunda*, quod juramentum confirmans contractum nequit relaxari, nisi a Papa ex urgente causa, ne violetur jus acquisitum a tertio: juramentum non confirmans contractum potest ab Episcopis relaxari; quia nullum jus tertii violatur in ejus relaxatione. *Tertia*, quod juramentum confirmans contractum transit quoad obligationem ad hæredes, ita ut isti teneantur illud solvere, sicut alia debita ex justitia; juramentum vero non confirmans contractum non transit ad hæredes, ut si quis juret solvere usuras, hæres illius minime tenetur ad illas solvendas; quia cum juramentum non confirmet talem contractum, obligatio non est ex justitia, nec realis, sed personalis ex vi juramenti.

62. Inq. 3. Quando juramentum confirmet contractum? R. *Primo*, quod quoties contractus a jure irritatur, vel irritabilis, aut rescindibilis redditur in odium creditoris, non firmatur juramento. Quia quando jus in odium creditoris contractum rescindit, omnem actionem, ac jus ab eo adimere intendit; ergo contractus non firmatur; ut qui latroni juravit centum dare, vel usurario solvere usuras, aut alteri quidquam ex metu gravi injusto; in quibus casibus, esto juramentum sit observandum ob reverentiam divini nominis, non confirmat contractum, nec creditor aliquid jus acquisivit adversus jurantem ob injuriam illatam.

63. R. *Secundo*, quod nec etiam juramentum confirmat contractum, quando

Tom. I.

hic irritatur a jure primo, & principaliter propter bonum commune: quia talis contractus est in detrimentum communis, cujus bono nullus particularis cedere valet, ideoque juramentum nullius roboris est, ex cap. 28. de jurejurando. Unde juramentum clerici de renunciando privilegio fori, aut juramentum metu extortum de professione, matrimonio, sponsalibus, & alia hujusmodi nulla sunt, quia reprobantur a jure principaliter ob bonum commune. Similiter est nullum quodlibet juramentum additum contractui inito ex dolo, aut errore circa ejus substantiam, quia ablato principali corrumpitur accessorium.

64. R. *Tertio*, quod quando contractus irritatur principaliter in utilitatem privatam contrahentium, modo absit injustitia ex parte illius, quod juratur, firmatur juramento, quia quilibet cedere potest suo peculiari commodo ex cap. 2. de pact. in 6. & cap. 18. de jurejurando. Ubi declaratur contractum, quo uxor consentit in alienationem fundi dotalis, esto jure positivo irritus sit, servandum esse, supposito juramento absque vi, & dolo præstito. Idem est de aliis quibus juramentis pupillorum, & minorum, quæ confirmant contractus alias jure irritos.

## CAPUT II.

De quibusdam juramentis peculiaribus.

## PUNCTUM I.

De juramento amphibologico.

65. Inq. 1. Quid sit amphibologia, & quot modis accipi possit? R. Amphibologia est *dubia sermonis sententia*, quæ vulgo equivocatio dicitur: quia *amphi* est dubium, *bole* est sententia, & *logos* sermo: hoc est verba diversa significantia, quæ audientem dubium circa eorum sensum relinquunt. Potest contingere quatuor modis. *Primo*, quando verba in communi acceptione habent ex æquo duplicem sensum, ut illud: *Ajo te Eacidem Romanos vincere posse.* Quæ sententia æque significat Romanos victores, ac victos posse exire. Pariter, *hic liber est*

Iiii

Pe-



tri, æque significat Petrum esse auctorem, aut dominum libri. *Secundo*, quando verba habent unum sensum *communiorem*, & alium minus communem, ut cum dicitur: *Petrus est bonus vir*; quod in sensu communi significat Petrum esse virtuosum; & in alio esse simplicem. *Tertio*, quando verba unum sensum tantum habent, ex modo tamen loquentis, aut interrogantis, vel ex circumstantiis temporis, loci, aut personæ determinatur ad alium sensum, ut cum poenitens interrogatur a Confessario, an commiserit hoc peccatum, alias rite confessum, respondet non commisisse juxta mentem interrogantis de præsentī confessione. *Quarto*, quando verba solum habent unum sensum, & per restrictionem pure mentalem determinantur ad alium; ut si petas pecunias ab habente illas, qui respondet, *non habeo pecunias*, intelligendo intra se *ad tibi dandum*.

66. Inq. 2. An aliquando sit licitum juramentum amphibologicum cum restrictione pure mentali? R. neg. constat ex triplici propositione damnata ab Innocentio XI. Ex quibus prima, quæ erat 26. dicebat: *Siquis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se, jurasse aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus*. Secunda erat 27. sic dicens: *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties sit necessarium, aut utile ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & favorabilis*. Tertia erat 28. ut sequitur: *Qui mediante commendatione, vel munere ad magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis exigi solet, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum*. Igitur omnis restrictio pure mentalis est illicita, & ut talis proscribitur ab Ecclesia.

67. Prob. rat. Juramentum falsum, & deceptorium est intrinsece malum; sed

jurans verbis solum cum restrictione pure mentali significantibus emitit juramentum falsum, & deceptorium: erg. Prob. min. quia mendacium est enunciare falsum causa fallendi; sed hoc efficit jurans restrictione pure mentali, non enim significat verbis, quod mente retinet: erg. profert juramentum falsum, & deceptorium, quod est intrinsece malum, & semper illicitum.

68. Objic. I. Joannis 7. interrogatus Dominus, an ascenderet ad diem festum? Respondit, *non ascendam*, & tamen constat ascendisse. *Secundo: Matth. 24. & Marc. 13. dixit ipse Dominus de die autem illo, vel hora nemo scit, nec Angeli in celo, nec filius, nisi Pater*. Tertio: Raphael Angelus dixit *Thob. 5. Ex filiis Israel ego sum Ananiæ magni filius*; sed hæc omnia falsa apparent secundum verba, & solum vera per restrictionem mentalem: ergo hæc aliquando est licita.

69. R. neg. min. & conseq. & ad primum dicitur, quod verba Domini determinata fuerunt juxta intentionem discipulorum, qui volebant, ut ad diem festum Dominus publice ascenderet, ad quod respondit, *non ascendam*, hoc est, *in publico*. Ad secundum dicitur Christum ut hominem, aut ex vi naturæ humanæ nescire diem judicii, esto etiam ut homo illum sciat ex vi scientiæ infusæ. Ad tertium: quod sicut Raphael assumpsit diversam speciem, ita distinctum assumpsit nomen congruum finī, ad quem missus est.

70. Inq. 3. An aliquando liceat uti amphibologia externa? R. non licere uti amphibologia etiam externa nisi ex justa causa, & multo minus illam juramento confirmare nisi ex graviore. Prob. quoad primam partem: quia locutio amphibologica opponitur societati politicæ, & civili: erg. est illicita absque rationabili causa. Quoad secundam patet: quia reverentia juramenti exigit causam graviorem, quam alia quævis locutio. Supposita autem veritate amphibologiæ externæ, non est mortale jurare extra iudicium amphibologicæ absque necessitate: quia defectus solius causæ, aut necessitatis in raro jurantibus non excedit culpam venialem.

71. Inq. 4. Quæ censenda sit justa causa ad locuendum, seu jurandum cum externa amphibologia? R. Causam justam dari, quoties usus amphibologiæ externæ necessarius judicatur ad salutem tuendam, vel ad conservandum honores, aut res familiares, vel ad aliquem alium virtutis actum, ita ut occultatio veritatis censeatur hic, & nunc expediens ad aliquem finem honestum. Cum aliqua ex his causis licitus est usus amphibologiæ externæ, verum quo verba majorem occasionem errandi præbeant, major requiritur causa; idcirco cum verba duplicem sensum ex æquo habentia minorem præferant errandi occasionem, minor causa sufficit ad sui licitum usum. In iudicio autem legitimo, & in contractibus onerosis nulla causa sufficit ad amphibologicè jurandum; debet enim sub gravi culpa reus, testis, & contrahens loqui, & jurare de plano juxta sanam intentionem iudicis, aut partis.

72. Veruntamen reus, aut testis, qui in iudicio celavit veritatem, non tenetur iterum se præsentare ad eam aperiendam, nisi aliter nequeat parti læsæ satisfacere. Debet enim compensare quodlibet damnus ex sua falsitate secutum; hoc vero alia via satisfactio, solum tenetur dolere de peccato cum proposito veritatem dicendi, si iterum interrogetur, & sic poterit a Confessario absolvi juxta plures. Sed vide *tr. 21. n. 165*.

73. Inq. 5. Quot conditiones sint necessariæ ad licitum usum amphibologiæ externæ? R. quinque requiri. 1. quod adsit justa causa. 2. quod interrogatus non teneatur ex aliquo capite veritatem aperte fateri, sed illam celandi jus habeat. 3. quod occultatio veritatis nemini noceat. 4. quod verba ex se, aut ratione circumstantiarum habeant sensum perceptibilem ab audiente, si ad illa attentius adverteret. 5. quod nunquam aliquis utatur amphibologia animo alium fallendi, sed solum veritatem occultandi.

74. Inq. 6. An homo rudis ignorans modum loquendi amphibologicè possit respondere celando veritatem in sensu, quod docet loquatur? R. neg. quia revera non conformaret verba cum mente actuali, sed cum mente, quam vellet habere. Unde puer a latrone rogatus de patre tene-

tur respondere secundum distamen conscientiæ; si vero ex ignorantia invincibili putaret debere mentiri, ne patrem proderet, teneretur etiam cum juramento ad illum celandum.

## PUNCTUM II.

## Alia dubia circa juramentum amphibologicum.

75. Inq. 1. An Confessarius interrogatus de auditis in confessione possit, & debeat uti amphibologia? R. affirm. quia ex una parte viget gravissimum sigillum confessionis, ex alia Confessarius gerit munus duplicis personæ, nempe Dei, & hominis: numquam autem loquitur, nec debet loqui extra confessionem ut Deus, ideoque debet prorsus negare etiam juramento, si opus fuerit, sive intra, sive extra iudicium se aliquid scire; quod in confessione audivit. Ita D. Thom. in *supplem. q. 11. art. 1. ad 3.*

76. Si autem quis scelestus urgeret, ut respondeat tanquam Confessarius, adhuc communis sententia docet posse negare, & jurare se nihil scire, quia semper datur circumstantia duplicis personæ, & omnes fideles, dum audiunt Confessarium jurantem se nihil scire, intelligunt loqui ut hominem, & ut talem debere loqui extra confessionem. Verum non desunt aliqui a communi sententia recedentes, qui sentiunt in tali casu Confessarium non posse dicere se nescire, sed debere repellere interrogantem tanquam improbum dicendo, sacrilega est interrogatio tua, & sacrilega esset responsio mea, sive affirmando, sive negando tibi responderem; idcirco abstinere ab improba interrogatione, cui ego absque profanatione sacramenti respondere nullatenus valeo.

77. Hæc, aut simili responsione dicunt debere obtundi os sacrilegi interrogatoris. Profecto hæc positio prima facie securior apparet, in ordineque ad sigillum servandum in idem recidit cum communi; sed si aliquod periculum subiret sigillum, sola communis sententia sequenda est: quia juxta D. Thom. homo non adducitur in testimonium nisi ut homo, & ut homo semper ignorat, que



in confessione audivit, & potest sine mendacio, & læsione conscientie dicere, & jurare se illa nescire, juxta illud vere, ac præclare dictum: *Quod per confessionem scio, minus scio, quam quod nescio.*

78. Inq. 2. An reus a giudice interrogatus possit juramento negare delictum? R. Primo, reus legitime interrogatus non valet delictum negare, esto imminet periculum mortis; quia judex legitime procedens jus habet ad obligandum reum, ut veritatem respondeat: ergo reus legitime interrogatus tenetur sub gravi illam aperire, & consequenter non potest eam juramento negare. Est expressa doctrina D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 1.

79. R. Secundo, reus non legitime interrogatus potest subterfugere responsionem sine mendacio: potest etiam dicere, nego *proposita*, ut *proposita*. Potest denique dicere: *non feci homicidium, vel non commisi delictum*, intelligendo intra se ad tibi revelandum, quia hæc non est restrictio pure mentalis ab Innoc. XI. juste damnata, sed externa; cum illa verba habeant significationem consentaneam menti proferentis, & circumstantie talis iudicii, in quo nemo tenetur respondere de plano, nec testificari quis obligatur, ut ait magister Valle in suo novissimo, ac perutili compendio moralis, part. 1. tract. 4. q. 3. Nec est ad rem, quod quidam recentior inquit, si hoc non est mendacium, doce mentiri. Nam dicimus non esse proprium Theologi docere mentiri; sed docere, quando adsit in verbis, aut factis mendacium, esseque prorsus illicitum. Reus autem solet in casu dicere v. g. se fuisse tali hora domi, in Ecclesia, aut alibi, cum revera non fuerit. En mendacium, quod ex nulla causa est licitum.

80. Inq. 3. An qui hominem sine culpa occidit, putans esse feram, vel alio casu inopinato, aut reperto ejus gladio prope cadaver ab alio relicto, interrogatus a iudice de homicidio, vel an gladius sit suus, vel an illac transierit, possit negare intelligendo de facto, aut de gladio percussore, aut de facto criminoso? R. affirm. quia semper, ac responsio est vera ad sanam mentem interrogantis, nec adest mendacium, nec perjurium; sed in

præfatis casibus, & aliis similibus responsio est vera ad mentem iudicis, qui solum inquirit de factis criminosis: ergo vera, & licita est.

81. Eadem ratione idem debet dici de Inquisitore, advocato, medico, chirurgo, & aliis consultis sub secreto naturali; possunt quippe respondere se nihil scire, si interrogentur circa secreta sibi commissa. Prob. ex textu Joan. laudato num. 68. ubi Christus respondit, *Non ascendam*, quod, licet ascenderit, verum fuit, quia non ascendit publice juxta mentem discipulorum interrogantium. Patet etiam ex textu Matth. ubi dixit se nescire diem iudicii, hoc est, ad revelandum. Eodem modo Confessarius de auditis in confessione potest, & debet dicere *se ea nescire*, id est, *ad manifestandum*. Patet denique in penitente, qui furta antea commisit, non vero ab ultima confessione, rogatus a Confessario an commiserit aliquod furtum, respondet, *non commisi*, & verum dicit, quia respondet ad mentem interrogantis, qui solum querit de furto, quod in illa confessione debeat confiteri: ergo, cum in supradictis casibus iudex, ut talis interroget de factis criminosis, bene respondet negando, qui in eis nullum crimen commisit.

82. Dices, ergo adultera occulta interrogata de adulterio a marito poterit respondere *non commisi adulterium*, intelligendo *ad tibi revelandum*. Item habens pecunias, quas alter poscit ab eo, poterit dicere, *non habeo*, subaudiendo, *ad tibi dandum*. Pariter poterit quis ex metu sibi incusso jurare *fide, quod dabit pecunias*, intelligendo, *si teneor*, & sic de aliis casibus, qui passim occurrunt. R. neg. consequ. quia in his casibus, aut similibus restrictio est pure interna, nec adsunt circumstantie eam externam facientes, sicut in iudice querente solum de factis criminosis, in Inquisitore, medico, chirurgo, & aliis secreto naturali obstrictis, de quibus communi sensu omnes concipiunt nescire ad revelandum sibi sub secreto commissa: nisi forte ob commune bonum, vel cedant in damnum innocentis. Igitur solum quando adest circumstantia externa, causa justa, & respon-

sio

sio datur ad sanam mentem interrogantis, erit licita, utpote labe mendacii non inquinata. Stante enim justa causa, & circumstantia externa præcipue ratione officii, aut illegitimi iudicii, abest mendacium, fraus, & dolus, ob quæ merito sunt damnatae amphibologie cum restrictione pure interna, seu mentali.

PUNCTUM III. De aliis juramentis particularibus.

83. Inq. 1. Quomodo obligent juramenta servandi leges, & statuta communitalis, capituli, & collegii? R. obligare, prout sunt usu recepta, ita ut circa illa, quæ sunt in viridi observantia, & obligant sub mortali, juramentum obligat sub mortali; circa ea vero, quæ per abrogationem, seu consuetudinem contrariam cessarunt, aut ex communi intelligentia solum sub veniali observantur, eodem gradu obligationis adstringit juramentum: quia juramentum non addit eorum obligationem, sed confirmat illam, quæ in statutis continetur, talia enim jurantes, hoc, & non amplius promittunt. Unde si dantur statuta solum ad poenam obligantia, tantum ad poenam subeundam obligat juramentum.

84. P. Concina tom. 4. pag. 50. a n. 3. contendit juramentum de statuto solum obligante ad poenam, obligare ad culpam. Verum aliud est juramentum, obligare in conscientia ad statuta servanda, aliud obligare in conscientia ad poenam subeundam. Sicut autem votum mere poenale solum obligat in conscientia ad subeundam poenam: ita juramentum de statuto mere poenali ad hoc ipsum tantum obligat; alias juramentum tribueret statutis obligandi vim, quam ex se non habent, quod ipse Concina negat ibidem. Eadem equivocatione laborat, quod addit num. 9. dicens: *si iuro silentium, teneor ad illud servandum*. Sed dicimus, quod aliud est jurare absolute silentium; aliud jurare silentium, prout in collegio servatur, vel secundum statuta collegii.

85. Obligant ergo talia juramenta, prout usu communi observantur; sunt

Tom. I.

enim juramenta implendi rem juxta statuti præscriptum, seu obligationem. Ex quo sequitur scholasticos violantes præcepta rectoris jurata regulariter non committere culpam gravem, nisi materia gravis sit in ordine ad finem præcepti, seu rectoris, quia ita sunt communiter recepta in collegiis; nec est alia intentio jurantium. Unde cum jurentur interesse sacrificio Missæ, aut alicui congregationi, vel comitari rectorem, aut ne utantur veste serica, & similia, tenentur juxta gradum obligationis, sub quo recepta sunt, nempe sub veniali; nisi ex peculiaribus circumstantiis aliud constet.

86. Inq. 2. An obliget juramentum, quod scribæ, & alii ministri justitiæ emittunt de servanda taxa in lege præscripta? R. affirm. quia quando evidenter de injustitia non constat, servari debet taxa assignata; sed non constat de injustitia, aut insufficientia evidenter, imo nec probabiliter; jurentur enim in fine scripturæ exprimere, seu apponere salarium pro ea receptum, ad videndum, an justum acceperint juxta taxæ præscriptam; ergo tenentur ad hoc fideliter servandum. Unde si excedant, debent in conscientia excessum restituere. Minquant fastum, & sufficit salarium. In gravissimo periculo æternæ damnationis plures ministri incedunt: alii, quia ultra taxam exigunt: alii, quia esto non exigant, libenter recipiunt. Dicunt, sibi a clientibus voluntarie donari excessum, sed revera se ipsos decipere volunt; ipsi enim agnoscunt id non esse verum, similesque acceptiones sibi a legibus sub gravi culpa, ac restitutione severe prohiberi.

87. Inq. 3. An Senatores, Prætores, & alii ministri publici ex vi juramenti, quod faciunt ad prospiciendum bono communi, teneantur coercere peccata publica? R. præfati ministri solum intendunt se adstringere juramento ad fovendam publicam pacem, tranquillitatem, & observantiam legum, quæ humanam societatem conservant; peccata vero, quæ illam non perturbant, in vi juramenti non tenentur propellere. Tamen ut patres reipublicæ sollicitè curare debent, ut scandala, & peccata publica ab ea eliminentur.

Kkk

88.



88. Inq. 4. An juramentum servandi secretum eorum, quæ in capitulis, aut congregationibus tractantur, semper obliget sub gravi? R. tale juramentum obligat juxta gravitatem materiæ, ita ut, si materia sit magni momenti respectu communitatis, aut alterius tertii, ejus manifestatio erit culpa gravis; si autem levis momenti sit, ita ut leve detrimentum ex ejus revelatione timeatur, erit levis. Quia tale juramentum secretum; sed hoc obligat juxta gravitatem materiæ: ergo similiter juramentum. Nec est alia intentio jurantium, nec communitatis exigentis juramentum.

89. Quidam recentior adstruit obligare graviter talia juramenta, etiam in materia levi; alias, ait, deficeret veritas formalis juramenti promissorii, quæ apud ipsum consistit in adimplentione rei promissæ. Sed hoc a nobis supra explosum est, & iterum exploditur, quia ommissio rei juratæ in juramento promissorio esset mendacium, aut perjurium, res jurata ex nulla causa posset omitti, nec dispensari; sed hoc est aperte falsum: ergo ommissio rei juratæ nec est mendacium, nec perjurium formale, sed infidelitas gravis, & ex levi juxta qualitatem materiæ. Dicere autem ex una parte, quod talis ommissio est mendacium, & perjurium formale, & ex alia dari quandoque causam non implendi rem juratam, vel in ea dispensandi, est dicere posse dari causam ad mentiendum, vel ad dispensandum mendacium, & perjurium.

90. Inq. 5. An medici teneantur servare juramentum monendi de confessione infirmos ex vi constitutionis Pii V.? R. ubi juratur decretum Pii V. tenentur medici monere de confessione facienda ægros laborantes gravi infirmitate, ita ut nequeant visitare ultra tertium diem, nisi certiores fiant de ejus confessione per Confessarii rescriptum. Constat ex decreto Pii V. confirmante aliud Innocent. III. in cap. Cum infirmitas, de pœnit. & remiss. Igitur ubi præstatur juramentum, & decretum est receptum, vel contraria consuetudine non abrogatum, debet observari, quia est lex justa sub gravibus pœnitibus imposita; non quidem pro omni infirmitate, sed pro illa, quæ gravis ju-

dicio prudentis medici creditur, intelligendum est decretum, & observandum juramentum. Nec prohibitio visitandi ægrotum debet intelligi, quando ex desertione medici timeretur periculum mortis infirmi, hoc enim vergeret in dispidium caritatis.

91. Verum præcise ab hac, & aliis legibus Pontificiis sub gravi tenentur obligatione medici monere per se, vel per alios absque respectu carnis, & sanguinis ægrotos gravi, aut periculoso morbo laborantes de sacramentis suscipiendis, & cæteris rebus disponendis, ut in viam æternitatis se præparent; quia quilibet ex lege caritatis tenetur occurrere proximi damno imminente, & maxime si irreparabile est, ut in præsent. in

#### PUNCTUM IV.

##### Quomodo cesset obligatio juramenti.

92. Inq. 1. Per quot, & quales causas tollatur obligatio juramenti? R. tollit per easdem, ac obligatio voti, & sunt irritatio, dispensatio, commutatio, cessatio finis, impotentia physica, aut moralis, & condonatio. Unde quæ de iis casibus dicta sunt pro cessatione voti tractat. præcedenti cap. 2. proportionaliter cessationi juramenti applicari debent.

93. Inq. 2. An habens potestatem dispensandi, aut commutandi vota, eam habeat ad dispensanda, seu commutanda juramenta Deo facta? R. si potestas est ordinaria, apud omnes extenditur ad juramenta. Si autem est delegata, esto sententia affirmativa sit valde probabilis; tamen ex stylo curiæ Romanæ dicunt aliqui, quod facultas ad vota dispensanda non extenditur ad juramenta, nec ad vota jurata. Attendantur in primis modus, & verba delegationis; deinde stylos curiæ. Confessarii medicantibus gaudet privilegio commutandi vota etiam jurata Pontifici non reservata: nisi adsit præjudicium tertii.

94. Inq. 3. An Papa possit dispensare omnia juramenta? R. ex gravi causa valet dispensare omnia juramenta Deo facta. Juramenta autem sponte edita in favorem tertii jam acceptata solum valet dispensare ex gravissima causa, quæ cedat vel

in bonum commune, vel in favorem innocentis, vel in pœnam delicti; alias laederetur justitia, nec esset valida dispensatio. Episcopi possunt dispensare juramenta non reservata, aut etiam non libere emissa in favorem tertii, nam si coacte emissa sunt, possunt absolute ea dispensare: ipsa enim coactio injusta est sufficiens causa dispensandi.

95. Præter juramenta autem supra recensita sunt & alia Papæ reservata, nempe juramenta circa statuta collegiorum, universitatum, & bonorum ecclesiasticorum, dum sunt a Pontifice confirmata: Item juramenta ex mandatis Pontificum emanata circa aliqua decreta observanda: pariter juramenta, quibus viri insignes se adstringunt, & Imperatores, Reges, Comites, Marchiones, & Episcopi in sua promotione. Hujusmodi etiam sunt juramenta circa res arduas,

& magni momenti ab universitatibus emissas, ut defendendi mysterium immaculatæ conceptionis; aut doctrinam D. Thomæ.

96. Inq. 4. Quomodo cesset juramentum inter duos vicissim emissum de præstando sibi obsequio? R. cessare primo per mutuam obsequii remissionem, quando illud principaliter juratum est: quia quilibet potest remittere alteri obligationem in proprium favorem promissam. Secundo per infidelitatem alterius: quia talia juramenta intelliguntur sub conditione, si alius ingratus non existat. Tertio quando jus tuum, aut tuorum, vel Ecclesiæ aliud exposcat. Quarto, quando datur mutatio notabilis rerum, ut in sponsalibus; in quibus cessat obligatio juramenti notabili mutatione superveniente. Quinto, quando observatio juramenti est alteri noxia. Cætera hic expectantia vide tract. præc. an. 114.

## TRACTATUS DECIMUSTERTIUS

### DE ADJURATIONE.

Post juramentum immediate disserit Angelic. de adjuratione. 2. 2. q. 90. Cujus faciem sequentes de eadem præsentis tractatu erit nobis sermo.

#### CAPUT UNICUM.

De natura, divisione, & aliis conditionibus adjurationis.

#### PUNCTUM I.

Quid, & quotuplex sit adjuratio.

1. Inq. 1. Quid sit adjuratio? R. est Contestatio rei sacræ, per quam adjuratus imperio, aut precibus inducitur ad aliquid faciendum, seu omitendum. Si proprie sumatur, est actus religionis, quia per illam exhibetur Deo honor assumendo ejus nomen ad postulandum, seu imperandum, quod fieri cupimus. Distinguitur a juramento, quia in hoc adducitur Deus ut testis veritatis; in adjuratione vero ut objectum amoris, aut timoris. Differt etiam ab oratione, quia

in hac nihil imperatur; in adjuratione autem aliquid potest per Deum imperari. Non datur speciale præceptum adjurandi: nam quod per eam exoptatur, potest per orationem adipisci, tamen ratione officii in ministro Ecclesiæ potest dari obligatio adjurandi, præsertim dæmones, ut ab obsessis corporibus egrediantur.

2. Inq. 2. Quotuplex sit adjuratio. R. adjuratio alia est deprecativa, alia imperativa, alia privata, alia sollemnis, alia denique propria, alia impropria. Deprecativa est, cum aliquid postulamus à Deo per ejus misericordiam, aut per merita Christi, Beatissimæ Virginis, aut sanctorum. Imperativa est, cum per nomen Dei aliquid inferioribus præcipitur. Sollemnis est, quæ fit modo ab Ecclesiâ præscripto per ministros ab ea deputatos. Privata, quæ a quocumque fieri potest. Propria dicitur, quæ Deum invocat, aut sanctos, prout in eis Deus splendet. Impropria est, quæ sanctos juxta eorum propriam excellentiam invocat. Unde petere aliquid per Deum est ac-